

322.

1245 d. 27 Juni.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånds-bref för allmänna Styresmannen och Priorerne af Predikare-Bröderne, att från kyrkans bann lösa och bland sig upptaga bannlyste personer, hvilka önskade att i denna Orden inträda.

A. r. d. 31.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei. Dilectis filijs . . Magistro et . . Prioribus ordinis fratrum Predicatorum, Salutem et apostolicam benedictionem. Celestis amor patrie mentes uestras sic allexisse perspicitur, ut quasi hoc solum delectationem uobis tribuat quod diuine uoluntati sit placitum et salutem proferat animarum. Procedit ex hoc quod nos uestris pijs petitionibus fauorem largiri beniuolum delectantes maxime cum ex apostolici cura teneamur officij circa religionis augmentum attentj et uigiles inueniri, uobis auctoritate presentium indulgemus ut uolentibus uestro aggregari collegio qui suspensionis aut interdicti uel excommunicationum sententijs sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie impertiri, et ipsos in fratres recipere. ac eos qui post assumptum habitum recoluerint se talibus in seculo fuisse sententijs innodatos, secundum formam ipsam absolueri ualeatis. Ita tamen quod si aliqui ex eisdem huiusmodi sententijs propter debitum sunt astricti satisfaciant ut tenentur Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Lugduni V Kal. Julij. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Blybullan hänger i röda och gula silkestrådar.

323.

1245 d. 27 Juni.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånds-Bref för allmänna Styresmannen och Predikare-Bröderne, att fritt uppehålla sig å bannlyste personers egendomar.

A. r. d. 32.

INNOCENTIUS episcopus seruus seruorum dei Dilectis filijs . . Magistro & Vniuersis fratribus ordinis fratrum predicatorum presentes litteras inspecturis Salutem & apostolicam benedictionem. Uobis extremam patientibus pro christi nomine paupertatem, digne conceditur ab apostolice sedis gratia per quod & necessitati uestre consulitur & benefactoribus uestris salutis meritum procuratur. Hinc est quod nos quorum deposcit officium iustis annuere desiderijs deuotorum, uestre precibus humilitatis inducti ut nos qui exhortationis pie studio bonos ad potiora dirigitis & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter reuocatis in excommunicatorum terris libere commorari. & ab eis tunc, ac etiam quando uos per ipsas transire contingit, necessaria uite deposcere. ac recipere ualeatis. uobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Lugduni V kal. Julij Pontificatus nostrj Anno Tertio.

Blybullan hänger i röda och gula silkestrådar.